



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 33. S. Damasi obitus. S. Siricius Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

Bautone, Militiæ Magistro, & Rumorido <sup>Sæculum IV.</sup>  
 ejusdem Dignitatis, sed Pagano, præle- A. C. 384.  
 ctis, victus Imperator adductis argumen-  
 tis, nihil eorum, quæ Pagani petebant,  
 concessit.

## §. XXXIII.

*S. Damasi obitus. S. Siricius Papa.*

Symmachus eodem Præfecturæ suæ an- <sup>Symm. X.</sup>  
 no, quam Justitiæ amantes Christiani <sup>ep. 34.</sup>  
 essent, suo bono expertus est. Is apud  
 Imperatorem Valentinianum insimulaba-  
 tur, aliquos Christianos injuste vexasse,  
 occasione accepti mandati, ut in eos, qui  
 urbis muros labefactaverint, inquiret.  
 Christianos ex Ecclesiarum Sanctuariis  
 abstraxisse dicebatur, ad quæstionem ra-  
 piendos, atque plures Episcopos tam ex  
 vicinis, quam remotis urbibus victos  
 adduci iussisse, & in carcerem compingi.  
 Epistolam, quam, ut objecta dilueret, ad  
 Imperatorem dedit, habemus. In illa al-  
 legat testimonium ministrorum sibi subje-  
 ctorum; nullum Christianum in vinculis,  
 aut carcere inveniri, quamvis alii ob di-  
 versa crimina ibi custodirentur. At testes  
 innocentia suæ, omni exceptione majo-  
 res, producit epistolas Damasi Papæ, affir-  
 mantis, dicti mandati occasione nullum  
 Christianorum læsum, nullum vinculis da-  
 tum. S. Damasus Papa mortalitatem exiit <sup>Hier. script.</sup>  
 eodem anno 384. undecima Dec. prope <sup>Prosp. Chro.</sup>  
 octo- <sup>an. 385.</sup>

*Sæculum IV.* octogenarius, cum S. Sedem tenuisset  
*A. C. 384.* annos octodecim, nempe ab anno 366.

*Sup. l. XVI.* Hunc plura miracula vivum, & post obi-  
*§. 8.* tum patrasse referunt. In quodam loco,

ubi Reliquiæ S. Sixti, & aliorum Marty-  
 rum servabantur, corpus suum sepeliri

*Dam. carm.* concupierat, sed mutavit propositum,  
*29. Anast. in* quod indignum se crederet, cuius cine-  
*Damaf.* res, cum Sanctorum cineribus commis-

cerentur. Hinc exuvia ejus in Ecclesia,  
 quam in Catacumbis ædificaverat, via

Ardeatina, penes Matrem, & sororem  
 suam Virginem Irenem, cui Epitaphium

*carm. 28.* composuerat, terræ mandatæ sunt. Sibi  
 ipsi quoque Epitaphium concinnavit, quo

fidem suam de Resurrectione expressius  
 manifestat. Ecclesiam S. Laurentii pro-

*carm. 16.* pe Theatrum, cui post Patrem suum mi-  
*carm. 18.* nistraverat, vel ædificavit, vel reparavit;

hodieque nomine ejus dicitur. Hanc  
 picturis, Historias Sacras representanti-

bus, ornavit, quæ quadringentis abhinc  
 annis conspiciebantur. Huic Ecclesiæ

*Epist. Hadr.* quoque donavit patenam argenteam,  
*1. Conc. VII.* quindecim libras habentem; rursus vas

*c. 19. to. 7.* cælatum decem librarum. Decem Ca-  
*Conc. p. 955.* lices argenteos, quemlibet trium libra-

*C. Anast.* rum; quinque coronas argenteas, feren-  
 dis cereis, quorum quisque octo librarum

esset, aptas. Candelabra cuprea sede-  
 cim librarum. Domos, circum Eccle-

siam sitas, quarum census quinquaginta  
 quin-

quinque asses aureos æquabant. Agrum, <sup>Sæculum IV.</sup>  
 cuius census ducentis viginti assibus æsti- <sup>A. C. 384.</sup>  
 mabatur, & alterum qui centum & tri-  
 bus. Balneum haud procul ab Ecclesia  
 positum, cuius census viginti septem as-  
 ses aureos reddebant. Omnes hi reddi-  
 tus quadringentos quinque asses aureos  
 conficiunt, atque si singulos octo libra-  
 rum esse æstimes, tria millia ducentas  
 quadragintæ nostræ monetæ libras exæ-  
 quabunt. Vasorum vero argenteorum  
 pondo, si ad duodecim uncias libræ Ro-  
 manæ reducas, octoginta marcarum pre-  
 tium, sine operis mercede, æstimabitur.  
 S. Damasus etiam aquam e scaturiginibus <sup>carm. 39.</sup>  
 Vaticani, quæ corpora ibi sepulta hume- <sup>Hier. script.</sup>  
 ctabant, collegit, & fontes baptismales  
 paravit. Quædam scripta post se reli-  
 quit, atque inter alia multa Epitaphia,  
 & Inscriptiones stylo ligato, ferme qua-  
 draginta numero. (\*)

A a a 4 In

(\*) S. Hieronymus de Script. Eccles. hæc pau-  
 ca habet: *Damasus Romanæ urbis Episcopus,*  
*elegans in versibus componendis ingenium ha-*  
*buit, multaque, & brevia metro edidit, & pro-*  
*pe octogenarius sub Theodosio Principe mortuus*  
*est. Vel istud Interpres Protestans S. Papæ invi-*  
*det, & adjecta Nota maculam ipsius memoriæ*  
*aspergere conatur. Scilicet de eo vere, quoties*  
*de SS. Pontificibus sermo recurrit, dici pot-*  
*est illud Maronis Ecloga III. Et si non aliqua*  
*nocuisses, mortuus esses.*

**Sæculum IV.** In Damasi locum electus est Siricius  
**A. C. 385.** Romanus, Tiburtii filius, Tituli Pastoris  
 Siricius Pa- Presbyter, qui ferme annos quindecim  
 pa. sedit. Imperator Valentinianus, tunc  
*Anast. Ba-* Mediolani residens, hanc Electionem ra-  
*ron. in app-* tam habuit, ut ex Rescripto apparet, ad  
*to. 4. Chr.* Pinianum Romæ Præfectum, junioris Me-  
*Cod. Theod.* laniae Maritum directo. In illo dicitur,  
*ap. Baron.* Siricium una omnium voce electum, &  
*an. 385. n. 6.* Urfinum populi acclamationibus reje-  
 ctum; ex quo dispicitur, Urfinum ne  
 tunc quidem quievisse. Hoc rescriptum  
 septimo Calendas Martii, id est, vigesi-  
 ma tertia Februarii, anno 385. datum est.

## §. XXXIV.

*Decretales S. Siricii.*

*To. 2. Conc.*  
*p. 1017.*

**H**imerius, qui a longo tempore Eccle-  
 siam Tarraconensem, Magnæ Hispa-  
 niarum partis Metropolim, regebat, Ro-  
 mam miserat ad Damasum Papam Pres-  
 byterum, cui nomen Bassianus, ut super  
 diversis Disciplinae Ecclesiasticae articulis  
 SS. Pontificem consuleret. Is Romam  
 advenit, Siricio jam ordinato, qui Pon-  
 tificatus sui exordio rescripsit epistolam  
 celeberrimam, inter epistolas hujus ge-  
 neris, quæ ad nos usque pervenerint,  
 primam, & Decretales dicuntur, quia  
 sunt Rescripta, quæ habent vim legis. (\*)  
 Hæc

(\*) Anonymus II. in Paragrapho I. suarum  
 obser-